

1740



MARE HYRCANVM SIVE CASPIVM
hodie varijs nominibus indigetant; Rutheni illud Chudenska No-
re vocant Mauri Bohar Cosum (vocabulo cum suo Lyabico co-
muni) quod mare clausum significat. Video proreca ab alijs ali-
ter appellari, vti Mare de Bactu, Cuzgar, Giorgiani, Terfshan, Co-
rusum, a regionibus nempe & locis vicinis denominationibus. Lacus
totus orbis maximus est, & salus, piscibus abundat.



Scala leucarum, sive Farsangarum 3000. passuum, quibus Persae &
Alauri, qui magnam Aste partem occupant hodie locorum intervalla
metriantur, quae mensura & vide cum antiquo vocabulo Farsangia
conueniunt. Ceteri fere Asiatici per dies locorum distantias
numerant.



Trübner'sche

PERSIÆ REGNUM
siue
SOPHORVM IMPERIVM.

PERSAVVM Imperium vti olim celebre, sic etiamnum hodie maximè clarum est, amplissimasque Regiones comprehendit: nam omnem eum Asiæ tractum, qui est inter Tigridum fluvium, Sinum Persicum, Mare Indicum (quod olim Rubrum) Indum, & Iaxartem (hodie Chesel) fluvium, & Caspium mare, nostra aetate à Sophis possidetur. Hunc totum terrarum tractum Plinius lib. vi. cap. xxvij. ex Agrippæ sententia, Medis, Parthis & Persis attribuit. Ammianus verò Marcellinus, qui tempore Iuliani Apostatæ Imp. vixit, hunc Persidi duntaxat ascribit. Has enim eius regiones hoc ordine lib. xxiiij. enumerat, Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania maior, Hyrcania, Margiana, Bactriani, Sogdiani, Sacæ, Scythia ultra Emodem montem, Serica, Aria, Paropamisada, Drangiana, Arachosia & Gedrosia. Hæ regiones omnes etiamnum hodie sub Persarum Imperio, (quantum ex variis scriptoribus, neotericorumque peregrinationibus colligere potui,) mutatis tamen nominibus degere videntur.

De Sophorum origine, ex Joannis Barrij Asiæ Decadibus hæc transtulit Cælius Curio, in sua historia Sarracénica, Anno Salutis nostræ M. CCC. LXIX. erat quidem Regulus inter Persas, Ardenelim oppidum obtinens, Sophi appellatus, qui se ex Alis Muamedis generi, stirpe, per Musam Cazinum eius nepotem oriundum gloriabatur. Hic Babilonio Calysa extincto; & aduersa factione, quam Turcæ tuebantur, à Tartaris depressa, cœpit liberius suâ de religione sententiâ profiteri: & quia Hocemus Alis filius, à quo ipse se genus ducere iactabat, duodecim filios habuerat, volens aliquod sectæ suæ, quo à ceteris dignoscerentur, signum imponere, instituit, ut qui suam sectam amplecti vellent, tyaram sub velo, quo caput Turcæ omnes involuunt, (tulibantem appellant) purpuream gestarent, quæ in medio extra tulibantem duodecim fastigia emitteret. Eoque mortuo successit filius Guines appellatus; qui tantum sibi in toto Oriente doctrinæ sanctitatisque opinionem conciliavit, ut Tamerlanes ille clarissimus Parthorū Imperator, qui Bayazetem Turcarū Regem cepit, per Persidem iter faciens, eum quasi sanctum aliquem virum inuisere voluerit: ab eoque Guines triginta captiuorum, quos secum adducebat, millia dono impetravit, quos ipse post in secta sua instituit; eorumque opera Secaidar eius filius in bellis usus est: is enim Guine mortuo, Georgis Scythiæ populis, suis finitimis, sed Christianis, (horum viribus fretus) bellum intulit, multisque illos cladibus afflixit. &c. Hæc de Sophorum origine dicta sint. Hic cum Turcis continua bella ob Mahumetanâ Religionem gerunt; quoniam Sophiani vnum Mahumeticæ Religionis interpretem sequuntur, & Turcæ alterū, qui quidem interpretes inter se sunt dissentientes, adeo ut Sophiani hæretici sint nuncupati à Turcis, & Turci à Sophianis. Gens natura liberalis est, & ciuilitatis amans, litteras & artes colunt, nobilitatē agnoscunt: in eo à Turcis differunt, quod hi nullū sanguinis aut stemmatū discriminē norunt. Harum Regionum situm, gentisque viuendi morem & ritus, vide apud Aloysium Joannis Venetum; Iosaphat Barbarum; Ambrosium Contarenum; Ioannem Mariam Angiolellum; & cuiusdam mercatoris anonymi, cum his impressam peregrinationem.

Consule etiam Iesuitarum Epistolæ; & Caterini Zeni Patricij Veneti Commentaria rerum Persicarum.



Wahrsd. ORT 12 (1574)
ULB-Halle KS: B II 7 [12] / 6

